Donatio qui seipsos interficiunt

Sigismundus etc. Significamus etc.

Quia nos certo motu nostro proprio bona omnia mobilia et immobilia intra et extra civitatem nostram N. existen. et ubivis locorum Regni nostri sita post nefarium decessum N. Civis N. qui propriis manibus seipsum malitiose necavit ad nos Fiscumque nostrum iux leges publicas iure caduco devoluta quibuscumque nominibus et cognominibus vocentur et cuiuscumque ea sint generis seu speciei nullis penitus exceptis Nob. N. et N. Cancellariae nostrae maioris Notarijs dan. et conceden. esse duximus damusque et concedimus praesentibus. Per ipsos Cum omni iure dominio et proprietate omnibusque et singulis utilitatibus fructibus, proventibus atque obvibus alias prout ea olim praedictus N. tenuit et possedit et quemadmodum ea nos possidere debebamus atque etiam iure Fisci nos possidemus tenen. possiden. et pace ac quiete iure haereditario perpetuo et in aevum possiden. Cum omnimoda et non limitata potestate eadem dan., donan., inscriben., reforman., venden., alienan., et in usus suos libere converten. Nihil ibidem Iuris dominij et proprietatis nobis reservan. sed totum et integrum in praedictos N. et N. eorumque successores converten. iamque exnunc damus illis omnem potestatem bona eiusmodi omnia in verum legitimumque corporalem et realem effectualemque possessionem iux iuris formam accipiend. Quare Famatis Proconsuli et Consulibus Advocato et Scabinis civitatis nostrae N. id denunciamus Mandantes ut eorundem bonorum possessionem iux iuris praedict. Cancellariae nostrae Notarijs realiter et in effectu tradant. in eoque ipsis nullo impedimento sint Non obstantibus quibusvis literis nostris ante et post datam praesentium ex Cancellaria nostra emanatis aut emanan. quas nos praesentibus abrogamus nulliusque momenti esse volumus et decernimus In quorum etc.

Libertas braxandi cerevisiam extraneam

Significamus etc. Quia cum esset nobis relatum per quosdam Consiliarios nostros Famatum N. Civem et Braxatorem N. cupere industriis suis ea documenta praebere ut vellet in domo sua N. sita cerevisiam elegantem usui hominum aptissimam et vulgarem quae nullibi exhibetur praestantiorem coquere et hac arte sua Civitatem illam nostram Provinciatem exemplo aliarum quae quippiam elegantis et praestantis inter alias habent celebriorem reddere modo illi per nos licitum fuisset Cumque eam rem ijdem Consiliarij nostri promotores ipsius N. diligenter